



PRIMA PARS LIBRI.

CHRISTIANO LECTORI S.



APOCALYPSEN S contextum totum inferere non placuit (etsi operæpretium fore, nec inutile fortasse quidam existimabunt) ne superuacuis sumptibus lectorem onerare viderer, sic excrecente libello & multiplicato paginarum numero. Ibi autem demum fecimus, vbi necessarium videbatur, & res ipsa prorsus exigebat: nempe in ipso libri initio, vbi eius asserenda erat autoritas: deinde in secunda parte, vbi comparamus inter se sigilla, tubas, & phialas. Collationis enim ratio tota vix aliter, ac ne vix quidem apparere poterat: in qua tamen posita est præcipua vis Apocalypses horum mysteriorum: vt merito possit dici clavis

quædam totius libri. Annotaueramus quidem nonnulla ad singulos penè versus Apocalypsis (sicut & sparsim non pauca obseruatu in primis digna in libris omnibus sacrarum Scripturarum) sed nunc edere non libuit.

Cæterum, quoties (vt modo dixi) instituti nostri ratio tulit, vt contextus totius alicuius loci legendus proponeretur, vulgatam illam veteris interpretis Latini versionem inferere placuit, non quia sit optima, sed vt hoc vnum saltem gratificaremur Romano Pontifici, Cardinalibus, Prælatibus, Canonicis, Sacrificulis, Monachis vtriusque sexus, Curatis & in genere clericis omnibus Romanensibus, coronam (vt loquantur) siue tonsuram habentibus, de quibus multò antequàm exorirentur depingendis, huius libri non minima parte agi videmus. Ergò nequid hic suspectum sibi esse dicant, nec Erasmica, nec Lutherani vllius hæc est versio, sed ea ipsa, quam pseudosynodus cecumenica, verissimè autem Romæ tridenti vel etiam tricipiti sacrosancta, mancipatâque, approbavit, & approbat. Legant ergò liberè, & respiciant à simulachrorum cultu, & omnibus operibus suis malis, vt seruiant purè S. D. N. Iesu Christo Regi regum, & Domino dominorum, vnico etiam totius Ecclesiæ vniuersalis, perpetuo, semper viuenti, semperque præsentì (vt dixit) Episcopo, ne iustissima eius ira opprimantur, & pereant tandem omnes.

PRIMA PARS, VBI IPSA INSCRIPTIO,

DE LIBRI HVIVS APOCALYPSIS

autoritate, & autore satisfacit.



VIDERI posset agi priùs debuisse de libri autoritate, quàm eius partiù vlla institueretur distributio. Atqui partitio ipsa partiùmque aliarum cum aliis connexio (qualis à nobis instituta & proposita fuit) magnopere iam valebat ad asserendam, sancientiamque sanctissimam libri non tantum autoritatem, sed etiam maiestatem summam prorsus. Præterea cogitavi magis apud eos mihi habendum sermonem, qui de libro sanctissimo minimè dubitantes, in optima sua sententia confirmari vellent, quàm qui ipsa perseveranti adhuc dubitatione, sacri huius thesauri irreuerentiam quandam, & contemptum præ se ferrent. Respondeat ergò ipse pro se liber: & nos legamus, exponamus, vel potius expendamus quod clarissimum est, neque eleuemus diuinorum verborum pondus hîc planè grauissimum.

Apocalypsis Ioannis Theologi.

Cap. I.

1. Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus, palàm facere seruis suis qua oportet fieri cito: & significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.

2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit.

A. iiij.